

*Guglielmo de Busca vende la metà
di una terra a Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo de Busca vende la metà
di una terra a Guglielmo Ruffo*

1322-11-18

In nomine domini amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo secundo, Regnante Domino nostro Roberto, Dei gratia excellentissimo Rege Hierusalem, et Sicilie, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie, et Forcalquerii, ac Pedemontis comite, Regnorum eius anno quartocedimo feliciter Amen. Die octavodecimo novembris, sexte inditionis apud Neapolim.

Nos Matthaeus de Fulco ad contractus Iudex civitatis Neapolis, Cesar Polegi de Luca publicus imperiali et per totum Regnum Sicilie Regia autoritate notarius, et testes subscripti ad hoc specialiter vocati, et rogati, presenti scripto publico declaramus atque fatemur quod in nostra presentia constitutus nobilis vir Guglielmus de Busca marchio, constituens prius in nos predictos Iudicem et Notarium, ut in suos expressos cum sciret ex certa eius scientia, nos esse asseruit coram nobis se, una cum domina Zebellina de Manfridonia uxore sua vendidisse viro nobili Guglielmo de Sinopolo Cambellano, et familiari Ducali, medietatem pro indiviso ad eum spectantem de terra quam Regia Curia habuit in Veteri Brutiano, sita in Iustitiaratu Calabrie quam dictus Guglielmus tenebat et possidebat in feudum a Regia Curia communiter pro indiviso cum dicto Guglielmo de Sinopulo ex venditione sibi facta a Bartholomeo de Busca patruo ipsius Guglielmi, cum hominibus, vassallis, possessionibus, terris cultis, et incultis, tenimentis, iurisdictionibus, operibus, angariis, et perangariis, servitiis, redditibus, bonis, acquis, aquarumque decursibus, molendinis, silvis, pascuis, et pertinentiis singulis ad medietatem dicte terre spectantibus, ut in publico instrumento inde

facto asseruit contineri. Et volens dictus Guglielmus de Busca eundem Gugliemum de Sinopolo pacifica dicte medietatis terre predictae, et aliorum predictorum possessione gaudere, per presens publicus instrumentum mandavit Raimundo de Busca Vicario suo in terra predicta, licet absenti per eundem Guglielmum de Sinopolo vel suum pro eo Procuratorem, inducat in corporalem tenutam et possessionem dicte medietatis terre praedictae, et aliorum supradictorum, et ad ipsam tenutam, et possessionem dandam, et assignandam Gulielmo prefato vel eius Procuratori pro eo, dictus Guglielmus de Busca fecit, constituit, et ordinavit suum verum, et legitimum Procuratorem certum, ac specialem Nuntium Raimundum de Busca quo pro factum licet absentem, tanquam presentem, et etiam ad ipsum Gulielmum, vel eius Procuratorem inducendum in veram, vacuam, et corporalem possessionem dicte medietatis terre et aliorum supradictorum venditorum pro eum dicto Guglielmo, et ad faciendum, et fieri faciendum de predictis, et quolibet eorum Instrumenta publica, et cautelas ad predicta idoneas, et competentes, que plenum robur obtineant firmitatis, et generaliter ad omnia, et singula alia in predictis, et circa predicta et quolibet eorum faciendam, et procurandam, tamquam quilibet verus, et legitimus Procurator et certus, et specialis Nuncius facere debet et potest, et que ipse constituens facere posset, et deberet si praesens adesset, etiam cum talia fuerint que mandatum exigant speciale; promittens, et se solemniter obligans dictus constituens sub hypoteca et obligatione omnium bonorum suorum se ratum, gratum, et firmum perpetuo habiturum totum ac quidquid per dictum Procuratorem suum factum, patratum, et ordinatum fuerit in predictis, vel aliquo

predictorum, me predicto notario tamquam persona publica vice et nomine omnium quorum interest, et poterit interesse solemniter stipulante.

Ut autem de premissis omnibus adhiberi valeat plena fides, et presens ac publicum Procurationis Instrumentum exinde factum est per manus mei Notarii supradicti, meo solito signo signatum nomine quo supra Iudicis, et subscriptorum testium subscriptionibus roboratum. Quod scripsi ego Cesarius notarius supradictus qui predictis omnibus rogatus interfui ipsumque meo solito signo signavi ac abradi, et emendavi superius ubi legitur Ducali, non vitio sed errore. † Ego Mattheus de Falco qui supra Iudex ad contractus scripsi. † Ego Notarius Simeon Rapitanus de Neapoli testis scripsi. † Ego Nicolaus de Caria Notarius in Cancellaria Regia testis scripsi. † Ego Notarius Nicolaus de Iardino de Neapoli testis scripsi. † Ego Notarius Iacobus Ronsonus de Neapoli testis scripsi.